

DE
PRIMIS
POLONORVM
NVMMIS ARGENTEIS,
Sive
GROSSIS PRAGENSIBVS,

EXERCITATIO PRIOR,
PRÆSIDE
M. GEORGIO WENDIO, WRAT.
A.D. XVII. MAII, A.M. DCCII. H. L. Q. S.

DVBITANDI PROVINCIAM SVSTINENTIBVS:
GODOFREDO EITNERO, RAWICENSI POLONO,
GEORGIO BISSELIO, THORVNENSI,
& WILHELMO Steined / MITAVIA - CVRLANDO.

12. a.

COLONORVM
INVMMS ARGENTIS
GROSSIS PLACENTIS

2/161 IN E

EXERCITIO PRIOR
M. GEORGIO WENING, WRAT.
AD XVI MATA M. COLN. G.
AD ADAMO J. B. G. ADANES
GODFREDO F. B. G. A. V. G. G. G.
G. G. G. G. G. G. G. G. G. G.
G. G. G. G. G. G. G. G. G. G.

De Primis Polonorum Nummis argenteis.

CAPUT PRIMUM,

De Causa Nummi efficiente atque in Poloniam introducente.

§. 1.



Uinam Nummus in fronte delineatus originem & auctoritatem suam debeat, ex Inscriptione patet. WENCESLAI nimirum secundi, Przemislai III. F. Boëmiæ Regis, qvi seculo XIII. & XIV. rerum gubernacula tenuit, nomen gerit & Insignia. Annon vero prior eodem in Polonia jam extiterit; à quonam porro in dictam Provinciam illatus, publicisque usibus commendatus fuerit; & quare demum Wenceslaus iste non æquè Poloniæ, ac Bohemiæ, Regem se notari injunxerit, dubio forte non caret. De singulis igitur aliquid.

§. 2. Neugebaueri si standum iudicio, utique ante Casimiri M. Polon. R. tempora Polonia Nummum non excudit proprium. Ita enim ille libr. 1. Histor. Pol. p. 17. Neque proprium habebant Nummum Poloni, sed externis, & maximè Bohemicis, usi sunt aliquandiu. Caput deinde ante ducentos annos à Casimiro M. as & argentum signari ad Bohemorum exemplum. Eginhardum tamen, Dlugossium & Sarnicium si consideraverimus, occurret certè, quod Oedipum desideret. Ille in Vita Caroli M. p. m. 438. memoriæ prodit, laudatum Imperatorem omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum & Vistulam fluvios, Oceanumque & Danubium posita, lingvæ quidem pene similes, moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolant, ita perdomuisse, ut eas tributarias effecerit, interque eas fere precipuos esse Welatabos, Sorabos, Abotritos, Boëmannos, cum quibus conflixerit. Dlugossius Tomo 1. Histor. Polon. l. 3. p. 240. de Boleslao II. Rege Polon. festivè ita scriptum reliquit: Cum in Cracovia, regia urbe, Boleslaus Rex in aula sua consisteret, & variarum Provinciarum, quæ suo parebant imperio, Praefecti aut eorum Legati juxta tempus constitutum tributorum & reddituum regalium varias argenti & auri species, vasa quoque & Clenodia ex his in usum & pompam regiam, & in largitionem hospitum fabrefacta, item gemmas & lapides, diversos præferentes uniones, item aliud aurum & argentum denariatum;

in Regis conspectu effunderent, Clericus quidam humilis sortis, admirationis & curiositatis gratia, aulam argento, auro, gemmis & pecunia, refertam ingressus, quantitatem opum regiarum, & sua conditionis tenuem & vilem sortem, tam frequenti submurmuratione & suspiriis ab imo pectore emisus cœpit ingemiscere, ut querela quoque ejus & murmur à Rege fuerit exauditus. In hunc Rex liberalior, quàm utrique conveniebat, esse volens, desine, inquit, fundere in nostri presentia suspiria; desine ingeminare querelas, tristitia quoque seposita utere hac die liberalitate nostra, & pecuniæ, quantumcunque ferre poteris, tolle summam, pauperiem tuam nostro dono exclusurus. Qui mox chlamyde, qua vestitus erat, diffusè strata, altius, quàm suis conveniebat viribus, onus tollere aggressus, tanta mole amictum, ex humeris pendentem, de metallo implevit, ut mole ipsa pressus, paululum spatii conficiens, & pondus cupiditate doni incensus non remittens, fracta cervice expiraret &c. Postremus libr. 6. Annal. Pol. p. 270. in margine miratur, quomodo aliqui dicant, pecuniam (ante Wenceslai II. Boh. R. tempora) incognitam fuisse Polonis. Exin refert, Vladislaum sputatorem donavisse Gnesnensi & Posnaniensi Pontifici auctoritatem in bonis Ecclesiæ venandi & monetam fabricandi. Et p. 303. tradit: Ferunt, ante Wenceslaum II. signato auro atque argento Polonos in emendis rebus minime usos fuisse, sed tantum permutationem rerum usurpasse. De inopia certè & nummo Polonico ex pellibus aspergillorum, nescio quid Poëta Janicius & alii tradiderunt. quibus ego conqverentibus de tanta inopia Veterum non possum assentiri. Confer. Cromer. l. 8. de Reb. Polon. p. m. 136. A.

§. 3. Quid? An respondendum ad primum: 1.) Eginhardi fidem sublestatam esse? Dum enim in laudes Carolinas effunditur, nimium sibi indulgisse videtur. 2.) Ex sententia Nobilissimi Dn. D. Schulzii Polonia nunquam fuit tributaria. Munera quidem externis Regibus data sunt interdum, non vero Tributa. Vid. elaboratissimus ejusdem Tractatus de hac materia, Gedani a. 1694. in 4. excusus. 3.) quicquid præjudicii in Polonos è dicto Eginhardo vel aliunde extorquetur, ad Oborritos pertinet. 4.) si datum fuit aliquod sive tributum, sive munus, pro conditione temporis in naturæ donis & bonis, (v. g. armentis, pellibus, piscibus, melle, frumento, commeatu &c.) non item in ære, nedum signato, exhibitum fuit. Confer. Hachenberg in Germania media. Dissert. Hist. X. p. 57. (NB. Cum olim multa irroganda erat delinquentibus, per Leges Polonicas injunctum fuit, ut Judici pelles harmelinæ & mustelinæ offerrentur. B. Hartknoch. l. 2. de Rep. Pol. c. 2.)

§. 4. Ad Secundum & 1.) Długosſi Relatio ſuſpecta eſt, & forte in convitium avarorum Sacerdotum conficta. 2.) non eſt verosimile, tam prudentem Principem tam ingentem vim auri argentiſque profuſiſſe, qvātam qvidem avarus ille Euclio vix humeris portare valuerit. qvis enim cui, & qvātum, donare deberet, probè intelligebat. 3.) auri argentiſque fruſtula qvādam, non vero pecunia ſignata, donata fuerunt Clerico. Nam Græcorum & Romanorum exemplo, (ut eſt apud Alex. ab Alexandro p. 217. b. & 243. a. Genial. Dier.) rudi ære appenſo, non numerato, gaudebant Sarmatæ, anteqvā argenti ſignati uſum compertum haberent. Guagninus Tom. 2. Corp. Hiſt. Pol. p. 354.

§. 5. Qvodſi Tertio prædictis Episcopis conceſſum fuit Jus ſignandi Monetam, qvis, qvæſo, 1.) probat nobis juris iſtius Exercitium? Apud Hiſtoricos ſane altum de eo ſilentium. 2.) ſingamus, conſlatos fuiſſe aliquos ab iisdem nummos, unde conſtat, argenteos fuiſſe, non æreos? 3.) In Polonia antiquius circa Monetam jus non habemus, qvā illud, qvōd Caſimirus I. Rex de conſilio & aſſenſu Baronum & Procerum ſuorum A. 1368. Leg. 121. his verbis promulgavit: *Statuimus, qvōd una moneta in toto noſtro Regno debeat haberi, qvā debet eſſe perpetua & bona in valore & pondere, ut per hoc ceteris (ſcil. extraneis) ſit gravior & acceptior.* Unde jam pecunia Polonorum ſignata, & qvidem argentea?

§. 6. A qvonam præterea Nummus iſte in Poloniam translatus fuerit, itidem ambiguum eſt. Communiter hoc ad Wenceslaum ipſum reſertur. Ita Martinus Bielski in Chron. Pol. p. 207. Tenże Krol Waſkaw czeſkie Groſze napierwey do Polſki przynioſł: á przedtym ſkorek nawięcey popieliczych miáſto pieniędzy brano: i. e. Rex Wenceslaus Bohemicos Groſſos primū in Poloniam intulit: antea pellicula, muſtelina imprimis, loco pecunia in uſu erant. Sarnicius qvoqve l. c. teſtatur, eos unā cum Wenceslao, Bohemo Rege, in Poloniam non ita pridem invecos fuiſſe, & quarta parte noſtratē groſſum excedere. Conſer. Theod. Zawacki Rogala, in Vita Wenceslai. Unde mirum non eſt, Schickfuſium qvoqve l. 1. Chron. Sileſ. c. 27. p. 66. legere eorum veſtigia ac ſcribere: Wenceslaus hat die ſilberne Münze aus Böhmen in Pohlen eingeführet / da man zuvor nur mit Stücklein Silber / liederner Münze (wie bey Kaiſers Friderici II. Zeiten für Parma / A. 1248. Calviſ.) und aufn Tausch handelte und wandelte. Communem qvippe Scriptōrum Polonicorum Opinionem ſequitur. Qvodſi autem Veritati conſentaneum eſt, qvōd Dubra-

vius l. 18. Hiftor. Boh. p. 158. perhibet, Wenceslaum nempe anno demum 1301. & è Polonia jam regressum ad nummos argenteos, quos Grossos Bohemos vocamus, intendisse animum, quo jure affirmabimus, eosdem ab ipsomet A. 1300. in Poloniam fuisse introductos? Rex, inquit ille, cum nova Regina (Rixa sive Elisabetha) in Bohemiam remigrans, animum ad novam (NB. novam,) monetam cudendam intendebat, magis argenteam, quam hactenus in Bohemia excusa fuit, majorem tunc argenti copiam suppeditantibus montibus Cuthnensibus. Ad quos è Florentia Hetrusca monetarii acciti, nummos argenteos primi in Bohemia hac forma & imagine, qua nunc sunt, quos Grossos Bohemos vocamus, excus(d)erunt; sed tantum jam presentibus de argento detrahatur, ut dimidio viliores, quam prius, habeamus. Et Pontanus in Bohemia pia l. 2. p. 23. Grossos Bohemicos primus cudi fecit, accitis è Florentia monetariis. Quicunque proinde arbitrantur, prædictos Nummos à Wenceslao, A. 1300. in Poloniam ad capeffendos fascis abeunte, simul transportatos fuisse, ratione temporis non parum falluntur. Sub Rege enim, magis quam à Rege; & paulo ante mortem, (quæ in Annum Christi 1305. incidit,) non sub ingressum Ejus in Sarmatiam, hoc factum est. Cautè satis Miechovia, l. 4. Rer. Polon. c. 4. p. m. 136. ita scribens: Sub Regimine Wenceslai, R. Boh. Grossi Bohemicales & denarii argentei in Poloniam inducti sunt. Majorem quoque post obitum ejusdem ibidem profutisse copiam, quam cum adhuc in vivis esset, vel exinde claret, quod, cum antea parce eorum fieret mentio, Henricus, Cruciferorum Magister, tunc A. 1309. à Vladislao Lothico pro solutione Castri Gedanensis centum millia marcarum Latorum Grossorum exegit, Miechov. l. c. p. 139. & Casimirus M. Pol. R. A. 1335. filia suæ, Elisabethæ, Johanni Bavaro desponsatæ, dotis loco quinque millia Sexagenarium Pragensium obtulit. Cromer. l. 12. Rer. Pol. p. 202. Dicamus igitur, à Rege cusos quidem, forsan & commendatos, à Polonis tamen liberè susceptos fuisse hujus generis Nummos.

§. 7. Porro mirari subit, quare Wenceslaus, in Regem Poloniæ jam inauguratus, adeoque & jus monetæ feriendæ habens, Polonia, æquè ac Bohemiæ, Regis titulo in argento usus non fuerit? ita est, in privatorum scriptis, e. g. in Miechovia l. c. p. 137. & alibi passim utriusque Regni Rex indigitatur: Franciscus quoque, Canon. Prag. (p. 2. Chron. MS. l. 1. c. 16.) commemorat, regnante Serenissimo Principe, Wenceslao Secundo, Rege Bohemia & Poloniæ Sekto, Anno Domini 1301. Johannem IV. in

*Pragensem Episcopum fuisse electum : in publicis autem monumentis nihil tale conspicere licet. An conjectabimus, ideo omissum fuisse titulum, quod in Polonia, artis monetariæ t. t. nondum exactè gnara, impressus ille Grossus non fuerit? An statuemus, eam ob causam Bohemiæ Regis titulo fuisse contentum, quia in Bohemia, & pro Bohemis maximopere, conflatus iste Nummus? Immo vero dicimus, Magnanimitati & Modestiae Regis hoc in acceptis ferendum esse. Tanta enim animi moderatione fuit, ut sorte sua contentus pluribus non inhiaret. Ecce pluscula Exemplum! Rudolpho Cæsare mortuo Principes Germaniæ A. 1291. Imperii Coronam Wenceslao ultro deferebant. quid vero hîc ille? Pessina de Czechorod in Marte Moravo l. 3. c. 7. p. 386. respondet: *Rex per summam animi moderationem, quæ se intra fines curasque Regni sui continere mauluit, fasces suscipere gravabatur: venerari potius, quàm tractare cupiens Imperii sceptrum.* Et pag. 387. inquit: *Hungari quoque & Poloni Regnum sponte detulerunt: & Poloniam quidem haut gravatè regendam suscepit, primusque in Regnum illud argenteam monetam induxit: Hungaris autem Filium cognominem Regem dedit.* Comes de Rewa, postquam eandem rem Centur. IV. Rer. Hung. p. 19. recensuisset, subjicit: *gratias accuratè egit, quod se dignum duxerint, quem Regem Hungaria appellarent, sed sibi nullo amplius Regno opus esse, cum duo ista, quæ possideat, plus satis oneri sint. Nec ullis argumentis ab hac sententia dimoveri potuit, modestiane, an moderationis affectus magnanimo Exemplo?* Taceo, quod (Francisco in Chron. Prag. MS. libr. 1. c. 9. teste) *Austriaci quoque Procures nuncios ad Wenceslaum direxerint, ipsum pro Domino eligentes, quos tamen Rex, postquam Albertus, Dux Austria, sese gratia ejusdem subdidit, eidem gratiosè reconciliavit: Illud inprimis huc pertinet, quod morti jam vicinus coram familiaribus suis edixerit, se, quodsi convalesceret, Regno valedicturum, resignaturumque illud filio, & in Aula regia, vulgo Zbraslaw, Cænobio foundationis suæ, inter Cistercienses habitaturum. Confer. Balbin. in Epit. Boh. l. 3. c. 16. p. 306. Quorsum itaque attinet, exterius quærere Politicam aliquam Tituli omissi causam, cum intra ipsam Regis animam vera Dissimulationis ratio subsideat?**

CAPUT SECUNDUM,

De Causa materiali.

§. 1.

Materia, è qua Rex Nummum Pragensem confici jussit, purum purum argentum est, nihil æris, ut postea, admixtum habens. In lapide Lydio examinata, argento finissimo, quod Germani 16. lotonum (16. Lothig) esse dicunt, respondet.

§. 2. Pondere drachmalis est, sive unam drachmam pendens, quorum octo unam unciam, (perinde ac drachmæ Atticæ) sexaginta unum pondo vel Marcam, Bohemis Hrziwnam dictam, constituunt.

§. 3. Hinc quoque pretium sive valor ejusdem innotescit. Balbinus l. 3. Epit. c. 16. p. 296. perhibet, eum 7. albos nummos æquasse pretio. Cromerus libr. XI. de Rebus Polon. p. 186. & cum eo Sarnicius l. c. affirmant, Latum grossum quarta parte Polonicum excedere. Et libr. 2. de Rep. & Magistr. Polon. p. 97. scribit, Latos sive Pragenses dimidio eos, qui tunc erant in usu, grossos vernaculos excedere, quin, si bonitatem & pondus argenti spectes, quadruplo &c. Illa autem ætate, qua Cromerus Historiam suam concinnavit, (A. 1570.) Grossus Polonicus triplo erat melior hodierno. Facta proin computatione unus Pragensis duodecim Polonicis hodiernis ex æsse respondebit.

§. 4. Ab hac bonitate sensim atque sensim recesserunt ejusdem in Regno Bohemiæ Successores, Wenceslaus III. Johannes, Georgius I. Vladislaus II. & Ferdinandus I. quorum exemplaria in manibus habemus. Malumus tamen id illustri Rerum Bohemicarum Scriptoris, Stranckil, quam nostris, pronunciare verbis, qui cap. 18. de Republ. Bohem. p. 540. seq. mutationem his verbis exprimit: Gener Wenceslai, Johannes Rex (ann. 1311.) æris paululum quiddam argento primus admiscuit, & grossos obolosque fecit, Soceri grossis & obolis læ æquali atque figura similes; sed cum bonitate, tum pondere, aliquanto inferiores. Quatuor & sexaginta ejus grossi, septingenti sexaginta octo oboli, pondo dabant. Cudebat etiam nummos grandiores, qui singuli habebant pondus uncia duas partes tertias, ideoque libra pars duodecima erant. — Johanne Rege Carolus filius paululo, Wenceslaus nepos, perquam multo, deteriorem fecit nummum. Argenti namque libris centum Carolus miscebat (ann. 1377.) æris duodecim libras: libram-

libramque pendebant grossi ejus septuaginta, oboli octingenti quadraginta. Wenceslaus vero IV. (ann. 1407.) miscuit Grossis suis aris $\frac{16}{41}$ hoc est, partes unas & quadragimas sexdecim, obolis $\frac{3}{5}$ hoc est, partes tres quintas, prout promulgata eam in rem utriusque diplomata plenius docent. Dubravius quoque libr. 21. Histor. Bohem. p. 174. ita conqueritur: Postquam Johannes Rex domi ararium vacuum reperit, ad improbandam monetam cudendam animum adjecit; Monetarium opponens, qui ex veteribus bonis nummis novos malos recuderet, pusillo illis argento superinducto, cetera plane areos &c. Breviter: Wenceslai II. argentum 16. Johannis I. 13. Georgii primi itidem 13. Wenceslai IV. Vladislai II. & Ferdinandi I. 8. lotonum est. Hinc liquet, etiam Nummis sua obungere fata, & meliores quidem subinde in deteriores, rariuscule vero hos in illos, transmutari.

TANTVM HAC VICE,



COROLLARIA.

1. *Siclus* communis jam Abrahami ævo in usu fuit.
2. *Qvi* hodie ostenditur *Siclus*, rarissimè genuinus est.
3. *Q.* An Polonis Romanorum Numismata argentea olim fuerint cognita? Videtur, qvòd sic.
4. E Domitiani Nummo, cui inscriptum: SIGNIS A SARMATIS RECEPTIS, neqvīt colligi Triumphus de Sarmatis actus.
5. Nummi, S. C. Inscriptionem referentes, argumento qvidem sunt, Senatus decreto signatos olim fuisse eos, qvi vero arbitrantur, in *ære solo* inveniri istam, (adeoque Senatui non, nisi æris, procudendi potestatem relictam fuisse,) Experientiam sibi adversantem habent.
6. Aristotelis, Virgilii &c. Nummi neutiqvām ab ipsis met, verum ab ipsorum Mæcenatibus in memoriam eorundem formati fuerunt.
7. *Q.* Num aurea *Ducati* moneta ab Inscriptione Venetâ: Sit Tibi, Christe, datus, qvi regis, iste *Ducatus*, nomenclationem suam acceperit? Aff. Besoldus.
8. *Q.* Num vera sit Relatio, è Jutia septentrionali ad Dn. Collectores Lubecenses perscripta, de repertis in Silice fracto 126. *Nummis argenteis*? Aff. Possibilitatem rei in dubium vocanti in Conflictu respondebimus. Vid. Nova Litteraria Lubec. A. MDCC. M. Aprili p. 119. & 243.

Ado-

Adolescenti

ob Modestiam mihi commendato,

ADAMO LEMKENIO,

De Primis Polonorum Nummis argenteis
disputanti,

FELICITER!

LEMKENI Eutrapelum, Lector, ne carpe Laborem.

Ex Nummis pulchrum est discere posse Statum.
vel: De Nummis pulchrum est dicere posse Crisin.

*Affectui singulari contestando
Imq. scr.*

PRÆSES.

Gratulationes Commilitonum.

Ingenii specimen monstras, Lectissime LEMKI,
In Nummos animum prodis & eximium,
Cum Nummos BOICOS commendas atqve recensens,
Qui dant non parvum lumen in Historia.
Gratulor ex animo de pulchris ausibus, optans,
Ut nunquam Nummi deficiant Studiis.

*Amoris testandi ergo
raptim scr.*

GODOFR. EITNERUS,
Raw. Pol.



LEMKIUS hinc equidem peregrinas pergit in
oras,

Nos tamen immemores non finit esse sui.
Ne dubites, Ipsum ex Voto posuisse juventam,
Sarmaticum Nummum linquit, Amice, tibi.
Prosit Conatus! prositque Profectio tota!

Fausta que tractantem tristitia nulla premant!

Bonæ scævæ c. scr.

GEORGIUS BISSELIUS,
Thorun.

ADAMUS LEMCKIUS,

Per Anagramma: omisso k.

AMA DULCE MUSIS.

MUsarum cupiens, LEMCKI, conscendere culmen,
Doctiloqvis *Musis dulce* legumen *amas*.
In præsens Veterum nobis das *dulce* Numisma.
Credito, sic *Musis dulcis* Amicus eris.

*Sic Amico suo præ ceteris percharo
gratulabundus applaudere & dulcia
queque simul apprecari
voluit*

WILHELMUS Steinedt/
Mitavia - Curlandus.



Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.